

vit Nobiles Oratores (11) Vitalem Dandulum, Manasse Baduarium, et Vitalem Faletrum; postquam praedictos nuntios (12), quos dux Vitalis miserat sanos, (13) recepit. Porro praetermittendum non est, quod factum fuit (14) de latrone, qui ducem supra dictum (15) interfecerat. Cum enim per aliquot dies latuisset sub terra, inventus (16), ad praesentiam ducis Ziani adductus (17) est, et ad populi petitionem iudicio iudicum suspensus fuit (18). Praedicti legati (19) ad imperatorem euntes ducis voluntatem ei insinuarunt (20), et cum eo de pace diutius pertractantes cum duobus ejusdem imperatoris Nuntiis ad ducem redierunt. Dux de pace (21) confidens iterum duos oratores videlicet (22) praedictum Vitalem Dandulum, et Henricum Navagagiosum (23) cum imperatoris nuntiis ad eum remisit (24); alter vero Henricus rediens, secum alios duos ad ducem legatos conduxit. Illo vero tempore (25) invitatus dux a Gulielmo rege Siciliae supra dicti regis filio, legatos ad eum miserat videlicet Aurum Mastropetrum (26) cuius superius mentionem (27) fecimus, et Aurum Daurum (28), et cum eo pacem iam fecerat (29), et amicitiam; super qua quidem pace imperator praedictus (30) movebatur, et ultra quam credi potest tristis factus fuerat, et laborabat propensius ut si quo modo posset illam infringere, sed cum legati quos miserat alios peterent legatos promittentes firmissime quod hac vice pacem faceret imperator, missi sunt tres viri egregii (31) Leonardus Michael Comes Abseri memorati ducis Vitalis bonae memoriae filius, et Marinus Michael eius consanguineus, et (32) Philippus Grecco, qui Philippus postea obiit in ipsa legatione (33): quos imperator suscipiens eosque de pace redens securos duos cum eis ad ducem nuntios misit, qui verba dulcia in dolo coram duce loquentes de pace iam ab imperatore promissa nihil fecerunt; quos dux retro mandavit, et aliquos deinceps mittere cessavit; fecerat enim pacem firmissimam cum domino Babiloniae, cum domino Massemutorum, et ibant Veneti ad omnes terras securi negotiationes suas libere exercentes, postquam (34) ad terras Graecorum quas Veneti propter imminentem imperatoris guerram saepius laeserant. In illis autem diebus cum praedictus dominus papa Alexander in confinis Romanae Urbis sederet, quidam Maguntinus archiepiscopus nomine Christianus (35) quem ut supra memoratus Phedericus imperator ad partes Rusciae (36) et Romagnae miserat, Anconam voluit obsidere, ut cum iam Romagnam, Rusciam (37), et Marchiam Anconitanam suo subiugaret dominio, Anconam quoque Romano subicere imperio niteretur eundem papam vexaret non voluntarie, ut credo, sed mandatis sui domini satisfaciens; sed cum Anconitanos iuxta desiderium suum offendere non potuisset, auxilium Venetorum coepit sibi opportunissimum, et imperio romano excogitare, quapropter nuntios ad ducem misit, et facta cum eo amicitia plectus contraxit, ut cum Venetis Anconitanos intendentes imperii expugnaret; oderant enim Veneti Anconitanos, tum propter inimicitias quae inter eos fuerant, tum etiam propter inimicos eorum Graecos, quos ipsi in odium et contrarietatem Venetiarum suscipiebant, unde praefactus dux, exercitum galearum et aliarum navium praeparari iussit, et ad expugnandos Anconitanos ipsum misit anno domini 1173. Fuit ergo Ancona a Venetorum exercitu per mare obsessa, et tam ab ipsis Venetis quam ab exercitu archiepiscopi Christiani cancelarii imperatoris in circuitu fortiter per aliquod tempus expugnata, et cum iam viribus et victualis Anconitani defecissent, nec possent exercitibus resistere, et se Venetis libentissime rendere vellent, de quorum fide confidebant non modicum, quidam Lombardorum qui pecuniam imperatoris Graecorum acciperant, causam imperatoris Romanorum destruere cupientes et Venetorum victoriae invidentes congregaverunt maximum exercitum, et in auxilium Anconitanorum, qui penes iam exanimis effecti fuerant festina-verunt. Veneti vero asperitatem hiemis timentes, et in portu Anconae diutius propter hiemem esse non audentes, redierunt ad propria. Anno vero illo imperator Phedericus tertio venit in Italiam cum maxima militum et peditum multitudinem, sed Lombardi eum non reciperunt confidentes de societate quam fecerant contra eum, accepta Venetorum pecunia; quasdam tamen eorum civitates imperator violenter obtinuit, et procedendo inde quandam civitatem Alexandriam, quam Lombardi in odium edificaverant obsidere coepit, et eam ac Lombardos contra se venientes expugnat, sed Papienses sponte ad eum redierunt iurantes ei fidelitatem, quod etiam paulo post Cremonenses fecerunt, qui cum de societate Lombardorum fuissent, mediatores inter ipsos et imperatorem extiterunt; quanta ergo fecerit contra Lombardos tempore illo imperator, et quam viriliter eos expugnaverit quantum etiam Lombardi tunc fatigati fuerint expensis et exercitibus non est nostrae parvitatis exponere. Anno igitur eodem qui fuit ab Incarnatione domini 1174 qui fuit convinctus captionis (38) Venetorum, cum esset imperator apud civitates praedictas, et suos expugnaret inimicos audiens de pace, quam dux cum praefato Christiano archiepiscopo, et sui imperii principe fecerat gavisus est multum; idem enim archiepiscopus super pacem ecclesiae laborabat, et diligentius ducem quoque saepius invitabat ut ipse super pace ecclesiae suum praestaret auxilium et consilium; nam et imperator in tantum ducem et Venetos diligere coepit ut scriberet multas toties duci, quod eius arbitrio, et laudationi de pace ecclesiae informanda stare vellet libenter. Confidebat quidem de ducis honestate, et Venetorum constantia et laborabat propensius, ut et ipsum ducem et Venetos sibi faceret fidos amicos. Cum ergo super pace ecclesiae etiam ipse dux sincere laboraret et fide, et quidam honesti viri quos reges Franciae et Angliae duxerant, ad reformandum dominum papam, et imperatorem iam firme induxissent, mandavit idem d. papa

(11) C. A. veniret praedicti imperatoris Constantinopolitani et misit ad eum Nobiles viros.

(12) C. A. praedictos duos nuntios.

(13) C. A. miserat ad imperatorem sanos.

(14) C. A. fuerit.

(15) C. A. sepe dictum.

(16) C. A. latuisset et a querentibus fuisset sub terra inventus.

(17) C. A. ducis Sebastiani adductus.

(18) C. A. fuit suspensus.

(19) C. A. Praedicti autem legati.

(20) C. A. insinuarunt.

(21) C. A. dux autem de pace.

(22) C. A. Iterum duos scilicet

(23) C. A. Navigosum.

(24) C. A. remisit qui nihil fecerunt de pace sed Vitalis Dandulus ibidem mortuus fuit. Alter.

(25) C. A. rediens alios secum duos ad ducem reduxit legatos. Tempore etiam illo.

(26) C. A. Aurum Mastropetro.

(27) C. A. memoriam.

(28) C. A. Dauro.

(29) C. A. fecerant.

(30) C. A. praedictus nimium movebatur.

(31) C. A. egregii scilicet.

(32) C. A. atque.

(33) C. A. postea in ipsa obiit legatione.

(34) C. A. negotiationes libere suas exercentes praeter quam.

(35) Il C. A. ha: noie xpian, e con queste parole resta interrotta la narrazione del Codice stesso fino all'anno 1205.

(36) Il testo Marciano così; ma per errore invece di Tusciae.

(37) Cioè Tusciam.

(38) Così il testo Marciano; invece di pactionis.